

III.

NEOVIDENSIS

Nro 76. (*Neovidensis* Nro 99.)

Ex comitatu Romani Pontificis Pii VII. Parisios pro coronatione proficiscentis mortuus est Taurini Cardinalis Braschius, nepos defuncti Papae Pii VII. voluit ille suo Patruo in Galliis parentare, at illum ipsum opinione celerius in campis elysiis amplexatus est, unde sequens prodivit sermo politicus: De bello, et pace.

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 21. Dec. 1804. (Neov. 7. Dec.)

Propositio:

Cajo Julio Cesare Octaviano ad supremam Imperatoris dignitatem promoti, Templum Jani, quod 205 annis semper patebat, clausum est.

Rollin. hist. rom.

Res notatu dignissima erat, videre templum Jani post 205 annos clausum. Quamprimum enim Romani bello impliciti sunt, solebat hoc templum aperiri, & nonnisi post confectam in omnibus territorii romani Provinciais pacem claudebatur.

Ponamus nobis ob oculos nationem, quæ 205 annis bellum gerebat, quæ post innume-

ros annos tandem pace fruita est. Certe tunc nemo romanorum scivit, quid agatur tempore pacis, quæ illa commoda adferat, quomodo sint tempora pacis comparata. Quamvis enim longe ab urbe Roma bella gesta sint, in usu tamen erat lex civilis de conscriptione, vi cujus juvenibus capessenda erant arma, relinquendi Parentes, & quia sine pulvere pyrio, & tormentis viritim erat dimicandum, prælia etiam erant multo crudeliora, victoriæ, & internecones longe crudentissimæ. Nunc autem repente post 205 annos optata pax? Repente supremum caput, Imperator, & pax? Repente in tota civili societate romani Imperii, id est in universo noto orbe terrarum securitas, tranquillitas, & pax? Pax, inquam, apud talem nationem, quæ nunquam antea pacem novit, nunquam pacis fructus degustavit, & tantum ex historia, & traditione ejus beneficia cognoscere potuit. Quam felix Epochâ!

Atque ista pax non tantum extraneis bellis finem imposuit, sed etiam domesticis; Romæ enim, in principe orbis civitate, sæpe omnia discordiis miscebantur; Catilina, & Sylla pari erant immanitate, atque Robertspierius cum suis consortibus; fere semper plus detrimenti cœpit Respublica ex bellis civilibus, quam ab hostibus externis, ita etiam bellum Vandeanum longe copiosiore stetit sanguine, quam gestum in Germania, — ad Danubium, & Rhenum. Has vero calamitates, miserias, infortunia, & sanguinis pro-

fusionem Octavianus uno ictu præcidit. Postquam enim ad summam Imperatoris [majestatem eluctatus est, templum Jani, quod 205 annis patebat, occlusum est.

Ego nã sum ejusdem opinionis cum præclaro illo concionatore, qui suum populum ex cathedra commonefaciebat, ut pro pace qualicunque tandem preces funderet. Nos sumus infelices, inquiebat ille, quamprimum magnis dominis lubet ad arenam descendere: nec amici, nec inimici ferunt nobis quidquam, sed omnia rapiunt, quapropter, Auditores dilectissimi! existimo, etiam malam pacem esse tamen pacem, imo pessimam pacem præstare optimo bello. O benevolum virum!

Nonne hac pace a dicto concionatore descripta, & post 8. annos restituta voluptatem cepimus non mediocrem? Numquid sperabamus, commercium, industriam, agriculturam, & artes non tantum in pristinum florem reponendas, sed indefessa etiam opera continuandas? Jam mente concipiamus, quis fuerit sensus Romanorum, dum eos post 205 annos pax, ignotus illis hospes, invisit.

Hæc pacis epocha, quæ sub Augusto accidit, insignem suppeditat similitudinem præsentibus temporibus. Napoleon composuit internos Gallix tumultus, & bellum in continente. Post pacem Ambianensem, & Lunvillensem cessatum est ubique ab armis. Europa videbatur velle conquiescere post terribiles motus, & Napoleon neo introdu-

ſum Cæsareum thronum in pace universalis, uti Augustus, conscendisset, nisi huic felici periodo Anglia obstitisset novo concitato bello.

Interim hoc maritimum bellum non est tanti momenti. ut posset coronationi Imperatoris Gallorum ponere aliquod impedimentum. Napoleoni facile erat, apparatus bellicos interrumpere, ut memorabile opus suæ coronationis absolvat. Hoc mirifice illustrat similitudinem epochæ Augusti cum præsentibus circumstantiis, potentia enim maritima nequit cœpta terrestris præcidere.

Præsens tamen rerum status, quem Anglia produxit, potest graves post se trahere sequelas. Anglia manu militari occupavit naves hispanicas, quo factò videtur velle Hispaniam bello involvere. Lubet illa in examen vocare, quæ ex belli indictione Hispanis facienda consequi necesse est.

Quamprimum Angli Hispanis bellum indixerint, illico Hispania Gallis juncta omnia adhibebit media, quæ suæ defensionis quam maxime idonea judicaverit. Necessitudo cum Rege Neapolitano, sollicitatio Galliæ, & forte unica occasio nocendi Anglis eo perducent Regem Hispaniæ, ut ad bellum contra Anglos gerendum Regem Neapolitanum permoveat. Talibus motivis ille non reluctabitur, & tunc bellum longe aliam induet faciem. Sicilia imponetur miles præsidiarius, in Sicilia ædificabuntur naves, quibus in insulam Meliten fiat excensio, in Meliten in

quam, quæ præsentis belli *corpus delicti* est, vel potius prætextus ejusdem.

Angli quidem minitabuntur, se tormentis impeturos portus Neapolitanos, & Siciliæ, verum observandum, Boloniam, aliosque portus Gallicos eidem periculo fuisse expositos, & modo parum, aut nihil metuere. Similes apparatus poterunt etiam in portibus Siciliæ institui, & quia Angli in insula Melite non possunt ex defectu copiarum tantas vires opponere excensionem facturis, neque omnes aditus venienti numero hosti præcludere; ideo ex Sicilia, aut regno Neapolitano tentanda occupatio Melitæ tantis difficultatibus non laborat, atque aggressio Angliæ. Accedit, hac ratione ferme totam Italiam contra Anglos armandam. Quod si successerit, ut Melita e manibus Anglicis erripiatur, cessabit obtentus belli, & in toto mari Italico nullus patebit Anglis portus.

Illa autem animadversio, quæ ex præsentis politico situ formatur, futurum nimirum, ut Russia ex Republica septem insularum adjuvet conatum Anglorum, nil aliud probat, quam bellum latius propagatum iri, & pacem tanto difficilius restituendam. Novæ occupationes præbebunt nova motiva bellum protrahendi, & nonnullæ gentes, quibus fixum est, neutras bellantium sequi partes, politico rerum nexu ductæ cogentur arma sumere, quin possint directum intendere emolumentum.

Sed etiam Portugallia hostilem erga Anglos debet animum declarare, ut primum fuerit Hispanis vis illata; quod, si ab Anglico Ministerio prævium, indifferens tamen videtur, jure merito potest affirmari, Angliam ex aqueo suo elemento in omnes continentis gentes trucem vultum convertere, parumque morari, an illæ amicæ, vel inimicæ sint. Verum docuit experientia in bello americano, ejusmodi aspectum Anglis male vertisse, atque ex ejusdem oculis subinde lachrymas profluxisse.

Hæc dicta sunt de casu, quo Hispaniæ reipsa bellum inferretur. Hactenus enim moræ nectuntur, in utramque partem deliberatur. Gallia posset suis utilitatibus consulere, si contra Angliam plures consurgerent hostes. At spei plurimum habemus, ut ista in nihilum recidant, nam in præsentiarum sequentia nova, quæ nihil hostilitatis continent, distinent homines.

Mediolano 26. Nov. Die 21. hujus mane Lucianus Bonaparte cum sua familia urbem nostram est ingressus. Divertit ille in domo Generalis Trivulzi, olim bellici Ministri, qui modo Parisiis moratur. Vulgo creditur ejus commoratio hic diuturnior futura.

Die 22. hujus Sanitatis Deputatio fusam promulgavit legem, quid agendum sit, ne valetudo hominum in præsentibus rerum circumstantiis detrimentum patiatur, ubi simul debitæ in transgressores poenæ sanciuntur.

Pisana ex urbe 14. hujus nunciatur: Gallicum militem præsidarium relicto exiguo manipulo ad defendendum castellum, Liburno excessisse; urbem nostram plenam esse profugis Liburnensibus; rerum primæ necessitatis pretium crescere in dies, tristissimam imminere hyemem, Universitatem esse clausam &c.

Parisiis 1. Decembris, vesperi. Undique resonant tormenta, & festivi ignes ex turribus, & locis editis annunciant crastinam solennitatem.

Hodie a meridie Mareschallus Murat Gubernator Parisinus lustravit in campo Martio omnes legiones pro coronatione ablegatas.

Hodie mane Deputati ex corpore legislativo, & Tribunatu salutarunt Romanum Pontificem. Idem fecit heri Status Consilium, & Senatus.

Imperator, antequam ex Fonte Bellaqueo discessisset, in multas horas protraxit colloquium cum Melzio Pro-Præsidente Reipublicæ Italianæ habitum.

Senior Jobertius, Advocatus in criminali, & Cassationis judicio, occasione imminentis Coronationis porrexit Imperatori representationem ratione conferendæ gratiæ quibusdam captivis, præterea aliud scriptum,

quod revisionem concernit diversarum tempore revolutionis latarum in causis criminalibus sententiarum.

Ex literis Hispanicis certiores fimus, adpropinguare in portum Andreopolitanum ex America Australi navim hispanicam onerariam.

Berolino 27. Nov. Crastina die Potsdamo huc adventurus Rex, cum Regina expectatur, ut in hujus loci Regia hyemem transigat.

Oubrilius, qui haecenus Parisiis russica negotia gerebat, nudius tertius urbem nostram attigit, in comitatu Baykovii, Lövensternii, & Volfii, quibus cum hodie iter suum versus Petropolim prosecutus est.

Rex noster accepit epistolam a Turcarum Imperatore in membrana aureis literis scriptam, & rubrae bysso involutam. Fama fert, hic residentem turcicum legatum Argiropolo per ultimum cursorem accepisse in mandatis, ut interpellaret Aulam Prussicam, vellet sua opera efficere, ut Galliam inter, & Portam Ottomannicam pristina amicitia redintegretur.

N E

Gnosia
tu
di
po

Elysium

Geor

Lichten
Sed n
caput
quam
nitatis

sci
lum,
bus,
judic

scrip
& ho
noste
ris,
expi